

P I O A C V E R I T A T I S S T V D I O S I S S I M O
L E C T O R I

CÆSAR BARONIVS S.



VID præstiterim in his meis ad Romanum restitutum Martyrologium Notationibus, tuum erit amice & erudite Lector iudicium. Elaboravi certè, ne multa de hoc genere desiderares: nam alia Martyrologia Latinorum, & Græcorum Menologium, cum hoc Romano accuratè contuli, res gestas & actiones Sanctorum ex omni antiquitatis memoria collegi, ac pro institutæ scriptiōis ratione, ita quidem breuiter attigi, vt fontes vnde vberius hauriri possint, indicarem. Qui scriptores, quæue narrationes probatiores & fideliores sint, admonui; certa ab incertis distinxī, difficultates, dubitationes & controuersias complures, siue quæ iam à nonnullis afferebantur, siue quæ oriri possent, explicare, dissoluere, sedare studui, ac certis argumentis ostendere, nihil temerè, nihil parum consideratè actum. Tum etiam plurimarum dictionum sanè obscuram notionem & vim declarauī, earum præsertim, quæ ea instrumenta & machinas designant, quibus terribili fidei oppugnatores fortissimos Martyres miris modis cruciarunt, diuexaruntque; in quorum instrumentorum, aliarumque nonnullarum rerum explicatione aliqui interdum à veritate fortasse aberrarunt, homines enim sumus omnes: nec nobis ipstantum tribuimus, vt nusquam putemus offendisse, sed quæ diuturno studio & labore nobis comparauimus, nunc, quando ita iis visum est, quibus non obtemperare, nefas erat, in medio proponimus ad Dei gloriam & cōmunem vtilitatem, doctorumque iudicio examinanda peruulgamus. Præfiximus operi, nè quid in hoc genere haberes, quod vltius cuperes, de Romano Martyrologio scriptiōnem. Hæc tu beneuole lector boni consule, dūmque sacra Martyrologij lectiōne te crebrò oblectas, & Sanctorum, in quibus admirabilis est Deus, gloriam & triumphos miraris, eorum quoque virtutem & pietatem imitari, diuina adiutrice gratia, ne pigeat.

CÆSAR BARONIVS CHRISTOPHORO
P L A N T I N O, A R C H I T Y P O G R A P H O R E G I O S.



ERGRATAS accepi abs te litteras Non. Martij, Plantine amantiſſime, quibus in cudendis nostris in Martyrologium Romanum Notationibus omne studium & industriam polliceris: quo certè nihil mihi optatius ac iucundius potuit accidisse. Erit spero aliquando, vt meæ lucubrationes, qualescumque sint, sed hætenus mendis obsita, & ob eam causam non tam in lucem editæ, quàm offuse tenebris, tua industria illustrentur. Dolui eas è manibus meis, hæud satis excultas, præreptas fuisse, sed maiori affectus sum molestia, cum eas Correctoris vitio scatentes mendis reperi: & quod insuauis acceſſit, me penitus inconsulto, easdem Typographus Venetiis emisit adeò inemendatas, vt eas in deterius dilabentes, iam propemodum desperarem in suum tandem amplius vindicandas. Inter tot verò animi mei fluctus, felicissimos illos existimabam, qui accuratissimum Plantinum (dicam libere sicut verè) in rebus suis edendis Typographum nacti essent. Sed opportunè accidit, vt his curis affecto tuæ mihi littère redderentur; quod non nisi diuino consilio factum existimo, cuius prouidentia cuncta mea semper subicere consueui. Lubentissimè igitur curabo quod petis. Mittam quamprimum ipsum Romanum Martyrologium emendatum, & aliis compluribus auctum. Adiungam & primum Tomum Annalium; qui licet adhuc sit sub prælo, supersunt tamen cudendi quinque tantummodò terniones, & index: absolunda ad summum omnia hæc infra mensem. Interea velim, vt cui sarcinulam sim crediturus, quò fidelius ac celerius pariter tibi reddatur, me facias certiorē. Etenim nescio quo infortunio accidit, vt easdem Notationes ante penè biennium ad R. D. Lindanum missas vix tandem hisce diebus ipse acceperit. Vale, mi Plantine, meq; hoc nomine tibi plurimum debitorum certò scias. Interim, quod mei muneris est, precibus apud Deum contendam, vt tibi in his qua sunt Catholica Ecclesia laboranti, iugiter præſto esse dignetur. Iterum vale. Roma, octauo Idus Martij, M. D. LXXXVIII.